





1
6
511







Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.511





L'autore di questi versi è il Cotta.

Q. D. B. V.

SPECIMEN INAUGURALE

Quo

MEDICUS MONSTROSUS

Indultu

GRATIOSISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ IN ELECTORALI ET ANTIQUISSIMA ACADEMIA HEIDELBERGENSI

Sub

UMBONE

VIRI GRAVISS. AMPLISS. EXCELLENTISS. ATQUE EXPERIENTISS.

DN. GEORGI FRANCI,

MED. AC PHIL. DOCT. ET PROF. P. ORD. FAC. DECANI ET ACADEMICI CURIOSI

PATRONI AC PROMOTORIS SUI OMNI OBSERVANTIA COLENDI

Pro

Summis in arte Medica honoribus ac Privilegiis Doctoralibus obtinendis proponitur cuivis Medicæ artis candido Cultori examinandus

à

JEREMIA COTTA Isnaco-Thuring.

Ad Diem 7. August. 1677.



HEIDELBERGÆ,
Typis, SAMUELIS AMMONII, ACAD. Typogr.

GEORGIUS FRANCUS
CLmo VIRO JUVENI
JEREMIÆ COTTÆ
DIGNISSIMO MEDICINÆ CANDIDATO
S. P. D.

NOn hodie demum aut nudius tertius emanarunt in optimos etiam Medicos convicia ſpurci oris hominum, ut modo cum α) multis SERVOS damnent; modo cum Diaulo faciant illos β) VESPILLONES; modo cum Athenæo γ) STULTISSIMOS laudent; modo cum Archagatho exclament δ) CARNIFICES! Nil dicam de fece peſſima homulorum περιαγοραῖων ſeu agyrtarum, qui mente plane EXSENSA ſunt, ut Mævii in Alceſt. voce utar; &

Curvæ in terras animæ, & cœleſtium inanes; quos ex ε) PERSIO apte delinees his coloribus: Qui dicit

Grande aliquid, quod pulmo animæ prælargus anhelet,
Scilicet hæc populo pexusque togaque recenti.
Et natalitia tandem cum ſardonice albus,
Sede legens celſa, liquido cum plaſmate guttur
Mobile colluerit, patranti fractus ocello.

Cui, juxta Juvenalem, ζ)

——— ——— ——— ſervi
Octo, decem Comites, ——— ———
——— ——— ——— togati
Ante pedes ——— ———

Iſti inquam nugivendi & congerrones maleferiati ſunt crumenifugæ hominum non tam ſimplicium, quàm ſtolidorum. Nequam enim iſti prius ſtultis moribus, veſtibus atque actionibus faſcinant illos, ut dein emtores habeant peſſimarum mercium, quæ ſtentorea voce pro panaceis explanantur & obtruduntur, nullo habito reſpectu ad ſexum, ætatem, temperamentum, vitæ genus aut morbi cauſam vel ſtatum. Hujusmodi impoſtores, quod non ſolum pecuniæ hominum, ſed vitæ etiam ſubditorum inſidientur, in bene conſtituta Rep. non poſſunt tolerari bona conſcientia. Hos nebulones, inquam, aliosque medicaſtros, quos verſiculi

Fingunt ſe Medicos &c.

α) *Coras. n. 6. ad §. poſt Originem 18. l. neceſſarium ff. de Orig. Iur. & A. Pinto Ramirez ſpicil. ſacr. t. 1. c. 49. §. 1.*
β) *Martial. l. 1. Ep. 31. & 48.*
γ) *Athenæus exceptis Medicis, nihil Grãmaticis ſtultius æſtimavit, C. Sciopp. paradox. Ep. 3. p. 17*
δ) *Plin. l. 29. c. 1. M. Junius tom. 1. or. 3. & Zwinger. Phyſiol. l. 1. c. 1.*
ε) *Sat. 1. verſ. 14.*
ζ) *Sat. VII. verſ. 140.*

Tangunt, heic non adtendam: Sed istos, qui tot annis in variis Academiis elegantissime vestiti strenue potarunt ac amarunt, qui magno cum Promotoris elogio facibus accensis ornantur pileo holoserico, annulo aureo, & proclamantur DOCTORES, testimonioque Pergameno muniti dimittuntur in mundi plagas; intus vero quanti quanti sunt, sunt inanes. Qui quando ad ægri lectum perventum est, aut sunt magis muti ac piscis, aut blaterant quicquid venit in buccam, securi quid de morbi eventu sperandum sit. Hi, inquam, juxta η) Plinium, *discunt periculis nostris, & experimenta per mortes aliorum agunt, illisque hominem occidisse summa est impunitas.* Hos indigitavit divinus θ) senex inquiens: Ἰητροὶ φήμῃ μὲν πολλοί. Ἔργῳ δὲ πάγχυ βαιοί. *S*ed quæ hujus pestilitatis causæ? DOCTORES & PROFESSORES in Academiis, qui sumunt pecuniam & mittunt asinum in patriam. Hi, inquam, Promotores φιλοκερδείᾳ, occœcati & fallunt misellum Doctorellum, & reliquos homines. Iste etenim sua studia tanti æstimata reputat esse sufficientia: Hi autem non promotum crederent â Tantis Viris, nisi condignum. Averruncet Archiater animarum hujusmodi deliramenta! Tu autem NOBILISSIME CANDIDATE COTTA, meliore Conscientia, quos jam exambis, adipisceris honores. Tu artis solidioris fundamina probe jecisti sub Celeberrima Virorum Medicorum Biga, ROLFINCIO atque WEDELIO; exornasti demum sub Magno VOLCAMMERO sagacissimo Norimbergensium Æsculapio.

ι) Ἀζηνοῖσι, κέλευθος ἀνιηρὴ ἐπὶ κῦδος. Sed jam devorasti plerasque molestias, & per laboris templum venisti ad virtutis.

κ) Ἡ δ' ἀρετὴ τὸ δ' ἄεθλον ἐν ἀνθρώποισιν ἄριστον. Gratulor ergo Tibi tota anima de genuina Artis scientia, quæ vel ex hoc inaugurali elucet themate. Ringantur alii, rumpantur illis ilia. Veritatis cibus amarus est, sed ejus nutritio dulcis.

λ) Αἰσχρὸν, ἄριστον ἐόντα, συνήγορον ἔμμεν' ἀλιτρῶν. Gratulor denique Facultati nostræ de optimo Artis Filio, & ut reliqui ita sequantur, votorum meorum summa est. Vale.

ê museo meo prid. Non. sextil.
CIƆ IƆC LXXVII.

η) *l. 29. c. 1.*
θ) *in* Νόμῳ *i.e. Medici nomine quidem multi, re autem admodum pauci.*
ι) *i.e. Molesta est juvenibus ad gloriam via.*
κ) *i.e. Virtus præmium inter homines optimum.*
λ) *Turpe bono pravis sese præbere patronum.*

Auspi-



Auſpice Chriſto!

PROŒMIUM.

MOnſtroſum in ſcenam producturus Medicum meritò in limine quemvis cordatum lectorem prius moneo, rogoque, ne reputet, temere ac petulanter in artem Medicam aut ejus miniſtros quicquam eo dictum iri. *Medicina ars per ſe ſacra, certa, ac perfecta* hocce meo auſu majorem prodibit in lucem, obſcœni v. ac vitioſi illius adminiſtratores memorabuntur, ut tantùm conſtet, quàm turpiter laudata Medicina à plurimis modernis medicis (ſi ita vocari licet) defœdetur. Defœdata utique eſt medicina adeo, ut altis quaſi ſopita ſordibus corrumpi cœperit, & niſi quovis tempore aliquot ſaltem veri ac conſcientioſi eandem ſeveriori ſtudio ſervaſſent incolumem, pluribus iſtis ſordidiſſimis dudum illa ipſa ſuccubuiſſet, periiſſet. Eò hodie utique perventum eſt, ut *decipere, peccare, mentiri, lædere* ac *male agere*, „ impune ac cum ſoſtro ſpecioſo liceat. Et certum eſt, nume- „ rum verorum Medicorum ad inertium cohortem compa- „ ratum valde exiſtere exiguum. Dolendum quod Medici titulus hodie adeo diffametur, ante hac ſonuit proverbium: *Deſperatio facit militem*, jam tutius proclamatur: *Deſperatio facit Medicum*, quilibet enim in *Theologia* aut Jurisprudentia

A defi-

deficiens Medicinæ ſeſe conſecrat; *mercator* ac *miles* opibus ac fortunâ fracti incipiunt medicari, *lictores*, *carnifices* ac quivis hiſtrio medicationis ſubeunt munus: de *mulieribus*, *medicatricibus* ſilendum, quippe quavis in urbe ac regione earum amplior conſtitutus eſt conventus, quem impugnare, difficile, oppugnare v. vix fuerit poſſibile. Tædioſum eſt, hæcce attingere, plus verò tædii adhuc habet, quod ars medica infauſtis iſtis exponatur fatis ipſorum plurimorum Medicorum culpâ, qui exinde quoque adeo monſtroſi evadunt, uti in ſequentibus ſubſequetur. *Cur* v. taliſmodi finiſter artis miniſter *Monſtroſum* in arte audiat, aut *quo ſenſu* noſtram conſiderationem incurrat, quilibet ex infrà referendis conſpiciet, talis enim oppoſitus, *vero*, *virtuoſoque* Medico ſatis horrendâ cuivis occurret facie, adeo, ut me ſilente ſua ſponte monſtri præſentia quoſcunque obvios in terrorem panicum conjecerit. Sed forte hoc meum propoſitum quibuſdam viſum fuerit inconveniens, mihique circa honores medicos ſollicito hoc ſtudii genus minus decorum: Verùm hîc nil remoræ, erunt iſti maleferiati ſeu illi ipſi, quos hîc monſtroſos vocito, cum illis nil prorſus convenio, maximo ſemper mihi fuere odio, cum ipſimet ſint oſores veritatis & *temere* atque *ex proæreſi* peccent in medicinam. Confido, quod *peritiores* ac *cordatiores* magis me ad hoc moliendum juſſerint, quàm ab eodem dehortati fuerint. Fateor, fœtoris exorietur ſatis, quum talia memoraverim, *camarina* enim in imperitis falſisque medicis latens eo ipſo non fuerit intacta: Veris autem & ſolidis medicis hoc ipſo odor ſuſcitabitur fragrantiſſimus verbo, *cum imperitia multorum memorata fuerit, vera ſophia magis eluceſcet, magisque tyronibus ad veritatem artis indagandam commendabitur*.

Finis hujus mei propoſiti, Deo teſte, haud mihi præfixus eſt alius, quàm ut veriora medica propius accedam, ſuperficiaria ac deceptoria longius fugiam; ipſi v. ſcienter in arte peccantes

cantes ad meliores, si non spes omnis convalescentiæ difflu-
xerit, jubeantur fruges. Ampliorem in hoc negotio me mi-
nus polliceor, tantum tn. addam, quantum pro eo, qui sapit,
suffecerit: Præsens temporis ratio plura apponere obsonia
non permittit, quippe transeundo ad castra hæc saltem, ut
discursum minus præmeditatus in hasce conjicere cogor pa-
ginas. More recepto *certum affectum* cum *causis*, *signis*, ac
curatione ex mente autorum speciosè diducere nolui, quam-
vis æquè facile potuissem: Centies enim morbus in cathedrâ
examinatus, enucleatus, reciproce disputatus ac feliciter cu-
ratus, deniq́ue tamen ægrum in lecto curioso adstante *Me-
dico* iniquiori dat internecioni; dein si contra consuetudi-
nis leges nihil audendum, opus est librorum cumulis pro al-
legandis autorum effatis, sed hisce destituor hâc vice, tumq́ue
immensas ac penes lectum ægroti minus valentes *distinctio-
nes* partim oblivioni tradidi, partim religiosè servato ordi-
ne referre non audeo, quippe illis saltem indulgere, studi-
umq́ue spondere hactenus sustinui, in quantum pro succum-
bentis in lecto levamine ac juvamine præstiterinr. Et talem
methodum procedendi acceptam refero fididissimis ac per-
petuo Magnifaciendis Dominis meis in arte Medica Præce-
ptoribus, ex quibus *trinum* saltem, sed tamen perfectum, æ-
ternæ honorificæ memoriæ, quam ipsi debeo, gratiâ, memo-
ro, np. *Magnum istum* WEDELIUM Medicum ex omni parte
verissimum ac perfectum, sub quo primò quoad studia *educa-
tus* fui; *Illustrem* VOLCAMERUM virum istum in omni scien-
tiâ Magistrum & in arte *Practicum* omnium famigeratissi-
mum, sub cujus suffragiis in *bonos enutritus* fui fructus; de-
mum *Celeberrimum* FRANCUM cordatum sane ac scientifi-
cum *Medicum* nulli secundum, quem meritò perpetuæ com-
mendo memoriæ ob insignem candorem in medicina præ-
sentissimum: Primum enim cum Magnum istum Promotorem,

adeundi copia obtigerit, blandiri, uti alii faciunt, nolebat, sed statim sinceriori mente innuebat, dolere ipsum, quod hodie perperam à multis tractetur medicina, indèque tot *monstra sensu nativo* non alienato inter modernos *Medicos* exoriantur, quo etiam impulsus sub candido hocce Viro demum *adolescere* ac in perpetuam memoriam hujus æque ac cœterorum duorum *Magnorum Virorum*, de quibus mihi satis constat, quod veritas ac candor in omnibus semper ipsis cordi fuerit maximè, huncce auspicari conatum.

Antequam autem rem ipsam exordiar, iteratâ vice æquum lectorem sollicito, velit sequentem meum discursum haud sinistrè interpretari, cara mihi sunt rerum *penetralia*, cara sunt earundem *centralia*, *essentialia* ac *vera* & eadem cui cara fuerint, *mentis componet fluctus.*

Sed fretus supremi NUMINIS velo excurro, supplicibus contendens precibus, felicior ausu hocce inaugurali absoluto ad quemvis ægrum mihi concedatur aditus, ut in honorem ejusdem NUMINIS, vita proximi pro viribus concessis salubrior servetur.

CAP. I.

Explicat, quid per Medicum monstrosum intelligendum sit?

RElîgioni duxerim, quempiam ex *naturæ inclementia* saniori destitutum corpore hîc sugillare, sit enim quicunque pede *claudus*, corpore *pygmæus*, tergo *gibbosus*, collo *incurvatus*, capite *deformis*, facie *defœdatus* &c. *monstrum* hîc neutiquam audiat, modo devotè ac conscientiosè præfuerit *medicinæ*. Sint *animi* dotes non adeo sublimes, sit *judicium* mediocre, sit vis *memoriæ* non adeo excellens, sit *genius* non

adeo divinus, ſit *lingvæ* volubilitas, ſit *differendi* facultas, ſit *ratiocinandi* ſolertia non adeo miraculoſa. Hæc & alia *naturæ* ſiniſtra fata, quamvis non immeritò quidem ad perfectum *medicum* requiri poſſent (nam inter operarios non ex quovis trunco expectatur artifex) quamvis inquam ad bene eſſe medici & corporis & animi convenientia dona meritò præprimis neceſſaria habeantur, attamen *nullum, quem natura miſerum ac monſtroſum finxit, ipſemet monſtri nomine inſcribam.* Monſtroſum v. hîc volo, qui propriâ culpâ ac temeritate horrendam iſtam ſubit *metamorphoſin*; deſcribi ad cujusvis lubitum poteſt ille v. g. *Medicus monſtroſus eſt ſiniſter ac perfidus naturæ ægrique miniſter artis ac verorum Medicorum autoritatem ludibrio exponens.* Omnia ſubſecutura hujus deſcriptionis *eſſentiali* ad ſaturationem usque dabunt ac con-
„ firmabunt. Et aliis *monſtroſus* eſt ille ipſe, qui præmedi-
„ tatus & ex conſilio ſolerter ac ſpecioſè *clientes* ſuos cir-
„ cumvenit, turpioris lucelli gratiâ conſcientiam onerat ma-
„ lè conſulendo proximi ſaluti: audet moliri, quod nunquam
„ didicit, facit quod toti arti infenſum eſt. Hujus famæ homines quærere laboris aut difficultatis vix quicquam habet, obvii enim ſunt ubivis. Sicut *caritas* ac *raritas* medicorum hodie haudquaquam metuenda, ita & *monſtroſorum* cœtus natus eſt uberrimus, & usquedum ubivis naſcuntur illi inter eruditos, ut *lolium arvenſe inter frumenta.* E hoc ut in anteceſſum notetur, fatendum eſt, nimiam fœcunditatem medicorum maximè juvare infauſtiſſimum modernum *medicinæ* ſtatum, hincque tot monſtroſi *fœtus*, hinc *vituli* hinc *tauri* iſti monſtroſi.

Neſcio, quàm abſurdum effatum ſit illud: Quicunque nec *Jurisprudentiæ* nec *Theologiæ* vel ex corporis vel animi iniquiori ſtatu incumbere poteſt, felicius *medicinæ* litabit: ô inſipidum conſilium, quaſi *medicus* corporis morbidi, geniique

que timidè inter labores *anatomicos*, excursiones *botanicas*, Herculeos *chimiæ* conatus, horridos ægrorum insultus, pestilentium affectuum miasmata, abominabiles *delirantium* motus non deficere, titubare, prorsusque succumbere posset. In medico forti animo, fortique corpore imprimis opus est, omnesque dotes *naturales* vix quempiam magis exornant, quàm *medicum*, hinc meritò pueri optimæ indolis ad *medicinam* excolendam essent eligendi, ab eâdem non arcendi. Sed horum memini, uti ante dixi, non quatenus claudicant *naturaliter*, sed propriâ protervitate in arte *Medica*, & cum aliis temerariis instar ferocientis equi in foro medicorum semet dant præcipites, atque andabatarum more circa *ægrotantium* triclinia circumferuntur. Si nondum medicus monstrosus in sensus satis incurrerit, confidas, infra lucidiori colore ipsummet appariturum esse, præprimis, uti stat sententia, cum breviter vulgo notas medicinæ partes *Anatomicam* *np. Botaicam*, *Chimicam* & *Pharmaceuticam* percurrerim, singulisque in hisce exempla dederim, ubi prima vestigia monstrosi medici ponantur, & quâ viâ demum talismodi fraudulenti magistri procreentur.

CAP. II.

Ex Anatomia Medicus progrediens Monstrosus.

CUm nemini non constet, *veram fabricæ humanæ haustam cognitionem in praxi adeundâ primam largiri lucernam, tumque ad eandem felicius exercendam illam ipsam esse manum tutissimò ducentem*, hinc anatomiam omnes medicinæ addicti venerantur, sed more studioque dissimili. Venerari hoc studii

genus

genus laudabile, ex idoneis libris ejusdem sumere ideam, decorum est, sed utrumque sine sensuali inspectione in cadavere est *umbra sine corpore & inde deviare incipiunt in statum monstrosum.*

Quando jam quispiam edoctus ex libro, quot ossa in capite, collo, artubus externis, pectore & toto corpore numerentur, quot musculorum genera, ubi membranæ cum tendinibus quærendæ, qua parte viscera interna cum intestinis, vesicâ, omnique genere venoso, arterioso, ac nervoso lateant atque excurrant, quando similia inquam quispiam conceperit, atque memoriâ reposuerit, de hâc medicinæ parte tutus gloriosè juxta machinam partium conceptam in morbido corpore suam auspicatur praxin. Ægrum de hoc studio minus sollicitum valde movet differendo speciosè modò de *hepate*, modò de *ventriculo, cerebro* &c. quamvis si ad demonstrationem perventum fuerit, *hepar* in pectore, & *pulmonem* sub diaphragmate quærat. Sæpius factum, fitque dubio procul in dies, quod frustum, vel lobus pulmonis abscissus ac demonstratus pro lobo hepatis & contra à magnis ac gloribundis medicis cognitus fuerit. Talia v. ad quæmvis conspectum obvia laniensis quoque satis comperta si talismodi *anatomicum* latuerint, quid fiet de indagatu difficilioribus, ut sunt v. g. *connexus partium ac consensus earundem mutuus, vasorum deductio ex loco in focum, ex centro ad circumferentiam*, & sic porro, hæc inquam quomodo in inertium illorum oculos ac mentem venerint? Memini ridiculi cujusdam exempli, quo *Thraso* similis pomposè tortuosa illa musculorum nomina juxta alphabeticum ordinem referebat, dein v. cum locus pro *fonticulo* excitando commodior in brachio ab eodem seligendus appeteretur, tremente animo, manuque tremulâ in conspectu subridentis adstantis *chirurgi*, huc illucque obrepebat, nesciens, quam regionem designet, donec insigni cum

cum infamia relicto aliàs consueto convenientique loco inter 2. musculos *interstitio* in elevatiori mediaque *Deltoides* parte corrosivum imponere jussit. Sed hæc, cum non statim de vitâ ipsâ agatur, non adeò attendenda, quod v. in gravioribus eadem intempestiva atq; absurda eveniant, magis dolendum est, quot enim *empyemate* loco minus convenienti aperto maximum in vitæ periculum præcipitati fuere? quot *hydropicorum* malo consilio ac infelici manu abdominis vulnus intestinis tenuibus simul pertusis cum miserâ vitæ deletione luerunt; *intestinum* pro *omento*, *uterum* pro excrescentia carnosa, *strumas* cum *aspera arteria* resecuisse horrendo ac miserrimo cum patientum interitu, salva ac recenti multorum adhuc reconditum est memoriâ.

Sed hisce *tragœdiis* moliendis consentiens & adstans medicus, nonne se monstrosum in *anatomicis* præstat? Sic in hisce rudioribus cœcè ac temere res agitur, quid solidioris scientiæ sperandum nunc de *venarum*, *arteriarum*, *nervorumque* ortu, progressu, ac insertione; hæc cum tecta fuerint, à talismodi nonstroso detegi ac considerari nolunt, nihil enim *nisi quod ante pedes est*, *considerant monstrosi.* Fons ipsius vitæ *cor* np. suis cum canalibus, calore multiplicativo, pulsus motu reciproco inaccessus atque intactus linquitur, cum tamen inde prima *morbi cognitio*, *ejusdem auctio*, vel *imminutio*, *virium valor* vel *deliquium*, totiusque corporis præsens ac futurus status judicandus sit. Hinc *sanguinis circulus* nonnullis quoque usque huc vel prorsus concipi vel verus naturalisque ejusdem successus statui nequit. Multo minus explicatur, quomodo *lympha* per hepar ejusque vasa lymphatica, *latex* per renes in vesicam secernatur, *chylus* per vasa lactea in *cisternam*, inde per ductum thoracicum, & ex eo sanguini suffundatur, tumque quid *lympha*, quid *chylus*, quid *sanguis* sit, & qui unum ex altero interveniente per varias partes commuta-

mutatione ſuppetatur. Quæſitus quondam magnus *Archiater*, quo pacto *purpura* in corpore humano ex lactiformi liquore tàm ſubito generetur, pro rei explicatione adornandâ dedit exemplum in *pyrorum rubeſcentium* coctione obvium, eoque ſimul & ſemel arcanum elegansque *ſanguificationis* negotium *dogmaticè* & *Hermeticè* fuit expoſitum Sane pro curioſo ac *Anatomico - Medico* ſat ſapientiæ : Sic hallucinandum eſt, cum ad phyſica elegantiora eruenda perventum fuerit, dum *unam* conſtitutivam *medicinæ* partem excolimus, *alteram* v. interea inexcultam ſeponimus. Fateor, quod *Archiatrum* iſtum anatomici profectus ſatis exornent, ſed infenſus oſor eſt *chymiæ* adeo, ut penes ipſum vaſta ac turbida *decocta* neſcio an *inteſtinalia* vel *viſceralia* dicta ſemper majori in pretio habeantur, quàm puriſſima *extracta eſſentia*.

Tyro in *chymia* non ſolum in hoc *ſanguinis* ſed & *chyli*, *lactis*, *ſpermatis* diverſo ſtatu ac mutatione citius ac felicius aliquid ſtatuere poterit, quippe quovis momento *liquidum album* in *purpureum* & *hoc idem rurſus in album* ſimul & ſemel abſque igne, & coctione ſine ulla temporis mora convertere noverit. Et ex iiſdem principiis tota fluit *ſanguificatio*, & mirandum & dolendum, quod medicus ſtudioſus ad ſtudium *Chymicum* acrius non impellatur, cum tamen ſatis in apricoſit, quæcunque in corpore humano peragi & elaborari non coctione *Galenicâ*, ſed profecto digeſtione *Chymicâ*. Qui enim mentis ſenſuumque compos eſt, cognoſcet, invitus quoque, quod ſolertiſſimæ *exaltationes*, *ſublimationes*, *volatiliſationes*, *ſpirituaſcentiæ*, *effer-veſcentiæ*, *motus-ve fermentativi* maximâ naturæ ſagacitate procedant in corpore humano. Tutiſſimus, ut obiter hoc ſaltem apponam, aſſero, quod ſecretiſſimi *labores*, quoscunque etiam ſublimioris ingenii *Chymici* ſubeunt, in artificioſè extructo vaſe *digeſtorio machinâ* nempè *humanâ* reipſa indies abſolvantur. Saltem recordari jubeo præparationis

tionis *spermatis* in *mæandris genitalibus*, sane hîc verum *opus philosophicum*, tumque memento *uteri fabricæ*, *fœtus in eâdem concepti* & *succrescentis* absque præexistente, ut ita loquar, materia, est hîc *ovum philosophicum Hermeticè clausum*, quo ex digestione naturali *miraculosa* conspicienda sunt. Sed sileo de hisce, cum rideantur magis, quàm auscultentur, inque viam redeo: hæc & similia, uti ante memoratum, non adeò urgebo, ut omnis, qui eorum cognitione destitutus sit, statim exclametur *monstrosus*; satis facessit negotii eorum copia, qui circa rudiora v. g. circa *situm*, *connexionem*, *fabricam*, *actiones*, *consensum ac substantiam* omnium turpissime hallucinantur, manifestè errant, valdeque peccant.

Vix jam tempus superstes & hæcce particulariter percurrere, quippe totius & ultra diei discursu res ista indigeret amplissimo, & vix tamen omnium errorum mentio fieri poterit. Unicum ut hîc adjungatur: *Turpe* pro *honesto* ac *paupertatem* pro *divitiis* hîc ambulare, lubentissime concederem, modò *vitium* cum *virtute* & *caritatem opum* cum *melioribus frugibus* commutare tali *monstroso* mens succurreret. Sed proh dolor, meliora nec optant, nec appetunt ipsimet, nec aliis *peritioribus* suffragia ad solidiora artis demonstranda donant, tumque quod ipsi nec sciunt, nec possunt, aliis agendum nolunt concedere, ne aliquid adhuc addiscatur. Satius ut quid velim, intelligar, clarius loquar: Ut casum saltem formemus, præstò sit talis *monstrosus*, qui tam in *speculativâ* quàm *practica anatomia* nec quicquam sibi præstandum promittit, hic alteri in arte hac magistro succurrenti omnem abnegat familiaritatem, conversari cum eodem abhorret, tumque ne sectio *anatomica* instituatur, multo minus solemnis *inspectio* ac *demonstratio* succedat præcavere studet quàm maximè, clandestinisque cuniculis *cadavera* omnemque occasionem, ne insignis iste magister agere queat, surripit quasi è

ma-

manibus *h. e. obstaculo est quacunque datâ obviâ occasione, ne cadaver secetur.* Similia semper eveniunt, ubi *ambitio & invidia* ardent, & qui fidem hisce non condonat, adea *illustrem* ac in vivis adhuc celeberrimum VOLCAMERUM, *Anatomicum* incomparabilem, ac in omni scientiarum genere famigeratissimum, dubio procul *Patronus* iste insignis ejusdem uberrimum suppeditabit testimonium. *Nausea, vomitusque* fere saniori quoque eò commovetur, dum semper *monstrosi illi parturientes* crepant, & tamen ne minimum fœcundi in recessu habent, multo minus in lucem promunt, sunt enim frigidissimi genii & fœcundari nescii, interea *nos poma natamus*, ac videmur aliquid egisse, sed manum de tabula, subsistere jubent & tempus, & convitia subsecutura, veritati parcendum.

CAP. III.

Ex Vegetabilium percontatione neglectâ Monstrosus evadit Medicus.

SEmper fuit placidissimum sectam *Dogmaticam* jungere *Hermeticæ* seu mineralia c. vegetabilibus combinare, sicque vi unita contra morbiferos *Archæos* pugnare, absque alterutro enim horum vix unquam constans ac perpetuus de *morbis* omnibus vincendis penes medicum manebit *honor victoriosus*. Quapropter *medicus*, nî monstrosus in arte comparere voluerit, *plantarum* præprimis *officinalium* vulgo dictarum, & quarum vis agendi tàm in *medicinâ*, quàm *chirurgiâ* satis comperta ac laudabilis existit, utique studiosè vacandum est cognitioni. Omnem *plantarum* farraginem haurire est utique non cujusvis, præprimis cujus humeris & *chimia*, aliæque

medicinæ partes excolendæ incumbunt, illius inquam tot centum *graminum* facies, tot *exoticarum* minus usum habentium floram sciscitari curiosius ac memoriæ commendare nec vires, nec studium eo semper sufficient, hincque in eodem deficienti medico neutiquam incomtus inscribendus est titulus. Secus v. judicandi sunt illi, qui nec *absinth.* nec *abrotan. plantag. rhapontic. Scorzoner. cariophyll. &c.* norunt aut nunquam viderunt. In pluribus ipsemet adhuc deficio, sed semper eo annitor, ne quicquam in usum vocem a. ægro præscribam, quod non prius semel tantùm propriis conspexerim ,,oculis, miserum enim est ac turpe incognitum commendare, ,, & doleo, quod lubentissime fateor, si ita procedere quondam coactus fuerim. Ad inscitiam fucandam quidam sese satis astutos gerunt, quæsiti nempe de hisce vel illis *plantis*, quascunque obvias confusis nominibus vocitant promptissimè, ne videantur *ignorantes.* Mihimet ipsi olim similis studii *botanici* noti fuére, quibus nulla *planta innominata* atque *incognita* erat, volubili atque audaci linguâ cuivis peculiare imponebant nomen, interea v. conscientiam haud violabat *scorzoner. hieracium, chærefol. cicutam, doronic. heliotropium minus. linariam esulam*, & contra vocitâsse. Qui *tyronibus* informandis ita se gerit, si ipse nondum *monstrosus*, *monstrosos* tamen plures eo procreabit, *pestiferum* enim & *deleterium* pro *salutifero* postea dispensare est utique impium, *monstrosique medici.* Majoris pretii atque honoris æstimandum est, pauciores *herbas* rectè & certò cognitas habere, quàm plures confusè ac falsò, hoc enim *periculum*, illud v. ab omni metu immunitatem habet comitem.

Alii dum *plantam* nominare nec audent, nec possunt, ad medici tamen famam salvandam refugiunt ad *chymiam*, glo-,, riantur de ejus eximia nobilitate, studioque in illam impen-,, so, quasi medico honorificum atque conveniens esset in

uno

,, *uno* ad medicinam constituendam necessario excellere, in ,, *altero* æque digno deficere, sane quacunque in parte *medi-* ,, *cus* cœcutit a. claudicat, honori haudquaquam vertendum. Et quod maximum ac turpissimum est, comperi eosdem, qui semet excusarunt prætendendo *chymiæ* hausta incrementa nec mineram ♄ni, nec ♃is, nec ☉is, nec *Arsenic.* cognoverint, sed æque selectiorem *Coboltam* pro ☽ minera & mineram Sulphur. pro ☉ matrice habuerint; de earundem examine ac per ignem probatione, tumque de *metallorum* fusione a. ex ipsis *medicamentorum* præparatione nihil prorsus dixerim, certum enim quod nec ♁ *diaphoret.* nec saccharum Saturni rite parare noverint, hujus v. sortis Medici nescio an alio, quàm *monstrosi* nomine venire queant, et *unius ignorantia penes ipsos alterius velamentum & excusatio.* Non desunt, qui convitiantes *regnum vegetabile* temere omnem contra morbos virtutem eidem abnegant, saltemque (uti forte per auram transvolantem quendam de hoc strepitum sensére) de concentratiori vi in *metallis* ac *mineris* jactant. Quicquid hîc differant illi, sunt tamen *monstrosi* in arte, quippe si non monstrosi æque essent in *chymia* ac re *botanica* profecto *vegetabilia* ipsis æque cordi essent ac *mineralia*, nunquam enim ☉ri laudabilis solutio absque succo vegetabili Spirit. vin. nempe & *Sal. Vegetab.* nempe *Tartari* institui poterit, insuper magnum ejusmodi *chymicum* non decet ignorare, quod citius vera ac polychresta medicina vix queat sperari, priusquam artifex tria hæcce VINUM, HOMINEM atque AURUM suaviter ac convenienter *in unum* spirituorum cogere noverit, hæc enim ipsa natura, uti cuicunque nostrûm de hisce meditanti constat, perpetuo amoris vinculo connectit, quæ enim in toto terrarum orbe magis se invicem amant, quam *Vinum, Aurum, & Homo?* si ☉ & *vinum* HOMO possidet, contentus utique vivere potest. Jam v. uti

ſatis notum, in hiſce tribus totius mundi vires concluſæ ſunt, ergo & in iisdem quærendæ, ac demum ab eo, quem JUPITER amat, pro idoneo ac conſtanti *medicamine* ſunt propinandæ.

Sed neſcio an talia pro iſtis monſtroſis: proprium jugulum ipſismet apponunt, dum, uti dictum, jam *vegetabilium* beneficia negligunt, in iisdem tamen ſuccurrente neceſſitate poſtmodum ſpem quærunt maximam, ac ſalutem fere unicè ponunt, *Vino* ipſo utuntur pro *analeptico*, ad vires reſtaurandas, commendant idem ſuis *clientibus* tanquam *ſacram anchoram*, ſed quomodo hæc ad jam prolata quadrant? forte *vinum* ipſis non eſt *ſuccus vegetabilis*, multo minus, (uti artiſtæ placet) loco omnium plantarum, nam ad ſummum quævis herba extracta ac elaborata deſinet demum in *Spir. Vin.* tanquam *quintam* ipſius *eſſentiam*, hæc inquam dum ipſos forte latent, contradictionis non adeò accuſari poterunt, interea v. quicquid ſit, manent MONSTROSI. Facilius tolerandi ſunt, qui adeò omnem vitam *plantis* cognoſcendis ſpondent, ut ſi non omnes, tamen plurimas ſibi notas faciant *encomium* hoc ſtudium meretur, majori verò honore digniſſent, ſi non ſaltem *facietenus* & quoad ſuperficiem easden contemplarentur, ſed & *penetralia* quoque luſtranda non cunctarentur.

Sed eò fere devenit, quo majorem *plantarum* numerum quis nominare poteſt, eò pauciorum *eſſentias* ac *virtutes* rimatur, ſed quid hoc ſibi vult, ſane *nucleo relicto externo delectari cortice.* De incerto ac intempeſtivo gaudent illi theſauro, qui *methodicè* hanc *plantam* in *primo*, illam *ſecundo*, aliam in tertio gradu *calidam* vel *frigidam* pronuntiant, nam laboris abyſſus eſt ac tentamen infinitum, dum *hodie ſecundi gradus* calida planta *cras* ſtatuitur *tertii*, uti diſſonans concentus inter hos ipſos *qualitatum* autores ſatis perſonat aures.

Et res

Et res aliter quomodo procedere poteſt, unde enim hauriri gradus *caloris* diverſi, tamque accurate dignoſci queunt ac debent, *aſpectu* & *odore* vix obtinetur, hinc ex *ſapore* & quidem *mordente*; ſed ſapor iſte unde dependet, ſane non aliunde, quàm à *Sale*, jam v. hujus proprium non eſt diſtinctos caloris ſuppeditare gradus. Ut umbram hujus effati fingamus, promam diverſa *Sal.* genera v. g *Sal. comm. Sal. gemm. Nitr. Vitriol. Sal-Armoniac.* hæc *Salia* deguſtet, cuicunque lubitum fuerit, à cujusque ſapore tentato erudiat quæſo, quoto gradu caloris *Sal* commun. quoto *Nitr.* quoto *Sal-Armoniac.* ſeſe manifeſtent; vix crediderim, quod tam promptè ſe explicuerit, atque fit in fallaciori *qualitatum* relatione. Brevius ac felicius examinabit ille plantas, qui omnes, cujuscunque generis fuerunt ratione *Salis* vel *exaltati* vel *ſuppreſſi* judicaverit, hinc oportet omnem *herbam* eſſe vel (1) *aquoſam* vel (2) *acidam* vel (3) *amaram* vel (4) *acrem* ac *penetrantem*, vel (5) *aromaticam*, quinque hæ diſtinctiones mihi ſufficiunt pro omnibus plantis quoad virtutem judicandis & cum eædem jam ad morbos pellendos ſint producendæ, tutius ac prudentius cura omnis ſuſcipitur, propius enim pro *calido nativo* levando, *cauſisque morbificis* ſolvendis accedunt. Sic *flores* omnes ac ſinguli arctioribus adhuc cancellis includi queunt, nulli enim dantur præter *inodoratos, odoratos & aromaticos.*

Vim Idealem v. ſeu vulgo *ſpecificam* quod ſpectat, ulteriorem *artificis* induſtriam requirit, ad quem ſcopum feriendum non parum juvat PHYSIOGNOMIA tanquam medicorum *alphabeticæ inſcriptiones* ab ipsâ *natura* benigniori impreſſæ. Sed hæc cum pluribus ſint infenſa, ſileo, mihi placent hæc & placebunt perpetuo, qui in omnibus *harmoniam* & ex ea, ſi poſſum, UNUM in fundo quæro, ſic propius ad NATURAM acceditur, quæ etiam *una ſimplex* & *integrum ſuum eſſe quærit* & *habet in* UNO. Sed uti dixi, offendunt

ſimilia

ſimilia præprimis v. MONSTROSOS illos, qui dum non capiunt, contemtui habent, ac *Chimæris* comparant, etiamſi fuerint *vera* ac *divina* reſpectu *quisquiliarum* earum, quas convertunt in fumoſioribus cerebri ſui angulis. Eadem contumacia ac invidia in monſtroſis hiſce *botanicis* eſt, quæ ante in *anatomicis* exorta fuit, nempe pœnitere nolunt, quamvis *errorum* probe ſibimet ipſi conſcii ſint. Si olfecerint ſaltem, quod quispiam in *plantis* examinandis ſolertior appropinquet, ſane *cane* & *angue* pejus eundem fugiunt, pudet audire meliora, pudet addiſcere, quæ ignorant. Inter colloquium memini quondam apud talem rudiorem *botanicum*, quod egomet quasdam plantas ab *aniculis* tum quoad *faciem externam*, tum quoad effectum *experimentalem* didicerim. Mox contractis labiis regerebat, quod maximè ignominioſum ſit cuicunque *Medico*, *ani* auſcultare præceptis. Hâc viâ *ſtupidi perlas luto inhærentes non recipiunt*, hi audiunt non quid dicatur, ſed quis dicat, ſicque veritatem prætereunt. Vix me pudet usquedum, quod, ubicunque occaſio occurrerit, ipſe aniculas *botanicas*, *rhizotomos*, *ruſticos ſylvaticos*, *fodinarum foſſores*, *metallorum examinatores*, *piſcatores*, *nautas*, ac cujuscunque generis *plebejos*, modo *naturalia* tractaverint, adeam, ex illis modo hoc modò aliud ſciſcitans, ubi fateor, quod varia *experimenta* modo ex *vegetabilibus*, modo ex *metallis*, *terris*, *lapidibus*, modo ex *animalibus* deſumpta hauſerim, & eadem quamvis viliora, tamen ad meliora ducunt. Et imprimis ſatis elegantia ac quæ altioris ſunt indaginis in *fodinis metallicis* conſpiciuntur; docuerunt me plura & interiora terræ viſcera & foſſores per iſta vadentes, dum nuper in cujusvis generis *metallicas fodinas* deſcendere, easdemque ac quomodo *natura* ſub terris in elaborandis *metallis* procedat, perluſtrare mihi conceſſum fuit. Sed *ambitioſis* hoc ſtudii genus ſordidum apparet, minusque placet, ſed quieſcant

ipſimet

ipſimet in ſordibus *ignorantiæ*, maneant *ſtupidi*, nec meliora appetant.

Hinc v. qualis princeps, talis ſubditus; *Pharmacopæus* pigrum ac imperitum ſuum conſpiciens *medicum*, ſecurus ac confuſus in *ſimplicibus* colligendis demum quoque evadit, parum enim ipſi poſtea intereſt, an alia *radix* pro alia, alia *herba* pro alia, ſicque quid pro quo ſubſtituatur, ſatis enim certus eſt, quod *monſtroſus medicus* nihil examinet, nihil inquirat, aut quamvis in re ancipiti quæratur, ille tamen ſemper religiosè conſentiat, ut dum radix à *pharmacopæo* monſtratur ſimulque v.gr. *cichorii* ab eodem inculcatur, *Dominus* DOCTOR pleno ore aſſentitur, quod utique ſit *rad. cichor.* quamvis poſtmodum ſit *radix* ſcorzon. ſic ex præſuppoſito, quod *pharmacopæus* prudentior in hoc ſit, quàm ipſemet, promtè conſentit, & ita honorem defenſurus maximè ſeſe proſtituit *monſtroſum*, ſed tranſeundum ad alia.

CAP. IV.

Ex Chymiâ Medicus monſtroſus.

SI qua in parte *Medicus* naturæ miniſtrum ſeſe præſtare ſuſtinet, profectò mediante *chymiâ* quàm optimè fieri poteſt, eſt enim illa, qua maximè veræ naturæ opes eruuntur, & quâ proxime in illius principia pro rerum generationibus moliendis accepta conſpicitur. FELIX, cui veræ CHYMIÆ beneficium contigerit, dat enim eadem *centralia medicamina*, de quibus & medicus & æger gaudere, & quibus extructus medicus artis valorem & ſui autoritatem ſervare atque augere poteſt. Commendare hodie *chymiam* plus fere periculi, quàm præmii ac honoris habet, plures enim ſunt inter ipſos *Medicos*, qui eandem damnant magis quàm cele-

celebrant, uti nuperrime mihimet ipsi contigit, dum ad favorem comparandum quædam de *chymia* differebam, eoque me meaque studia magis commendare intendebam; profectò omni fere *bonore* ac *favore* defraudatus fuissem solius senioris adstantis *Medici* sinistra commendatione, erant a. in mei favorem hæcce dicta conventu satis splendido præsente: *Hisce studiis qui indulget, de eò in Medicina nihil laudabilis sperandum*, silui tunc, cum tempus ad respondendum non faveret, altius v. miratus fui magni illius viri judicium, & mecum forte alii inter adstantes, quod mihi rursus fuit solatio. Multitudo *fumi-vendulorum*, *Mysochymicorum* ac *impostorum*, (ut etiam hoc fatear) metum incussit insignem, maculamque inussit fœdissimam *arti isti sacratæ*. Sed omnia hæcce iniquiora fata ex culpa inepti *artificis* scaturiunt, ARS *ipsa* restat inculpata, interea tamen dolendum, quod ex stupidis talismodi ministris res ipsa *sua luce* defraudari atque naufragium subire debeat.

Quibus v. Sophia hæc colenda? Sane non *sartoribus*, non *pastoribus*, non *stolidis plebejis*, non *mercatoribus*, nec ipsis *rudioribus pharmacopæis*, sed profecto *Physico-Medicis*, quibus genius beneficus aptusque in abstrusiora naturæ descendendi fuit commissus. Verum plurimi eorum *jus suum* sponte abjecerunt, aliisq; in artem istam infaustis sane auspiciis libertatem concessere, quà demum eorum ausibus absurdis *sophia* ista profanata fuit, sicque *medicorum* ipsorum negligeriâ *chymia* inter vulgus adeo dilaceratur, ut nulla *urbs*, nullus *pagus*, quo *pastor* & ipsius *ludimagister* non chymicè fumare volunt. Et eadem est via, quâ nobilissima hæc pars *medicinæ* odio invidiæq; exponitur, contemnitur, ac fere sopitur, sed propriam in autoris perniciem. Sunt *medici* illi, qui *ignem* & *carbones* ceu *pestem* fugiunt, omnis mali origo, hinc meritò & pessimum in eos redit. Hoc v. utique ipsis evenit, cum enim

enim jam ad arenas perventum fuerit, quæso, quâ *tremente manu* ac *mente* adstant ægro, conscii quàm curta ipsis supellex, quàmque inermes pro hoste profligando apparuerint. Hinc miseri isti *medici*, qui neminem nisi sanum juvare queunt, hinc *monstrosi* illi, qui rem totam *naturæ* commitunt, etiamsi illa in angustias coacta de suppetiis sollicitet maximè, hinc illi perpetui ad ægri lectum *spectatores*, qui, quum penetrare nequeant, ubi nostis lateat, aut quomodo ipsi occurrendum sit, turpiter silent, quiescunt perperam *contenti non lacessi*. *Medicam sapientiam* in eo præstant, dum primò & ultimò CORDIALE vulgò (**wir müssen das Hertz ein wenig stärcken**) quod ipsis solum, semper ac ubivis in quemvis *ægrotantem* per plures annos fuit in usu, speciosè præscribunt. Quo facto audacter pronunciat, jam rem DEO esse commendandam, cum jam præstitum sit, *Medicus* & *Medicina* quicquid præstare valeant. O *mendacem* memorem, *potiunculam illam* vel *pulvisculum* illum *cardiacum* (uti vocatus est) nondum delibavit COR patiens ab hoste extraneo, tunc temporis enim nihil alieni admittit. Et quamvis talis æger ab interitu ac morte vindicetur, *monstrosi* tamen illius *medici* arti ac solertiæ haud quaquam est adscribendum, ille nihil juvabit, ubi NATURA *benigna non morbi victrix*, a. morbo jam victo æger in viâ *convalescentiæ* non procedit; hisce rem salvantibus, *monstrosus* interveniens medicus speciem quasi benè agentis *Medici* mereri potest, quamvis etiam nonnunquam benè agentem *naturam* turbet, præcipitet, sicque in deterius deflectat. Talia fata subeundum est, si *rei nucleus abjicitur*, *cortexque saltem servatur* : persistit totius artis *Medicæ* vis maxima in *chymia*, servat eadem *medicum*, sed non *monstrosum* in autoritate integerrimum, hinc eâdem à medicina separatâ superstes est *nux ventosa*, *negotiumque mulierum*; *decocta* enim *sirupos*, *ac clysteres*

 para-

parare, miſcereque *folia, radic.* ac *ſemina* mulieri haud multum cauſabit difficultatis. Novi & quivis noverit hiſce laboribus indulgentes *mulieres*, quæ in dictis non ſolum, ſed & in omnium *aquarum* ac *ſpirituum* diſtillatione ſatis feliciter procedunt, novi v. *medicos*, qui ne *aquam roſarum* ritè parare norunt, ſed quid de hiſce judicandum *artifex*, ſunt utique *monſtroſi* veros ac peritiores inter *medicos?* Occurrunt quoque *timidi* ac *temerarii* in *chymicis* propinandis, bini *chymici* videri volunt, ſed non ſunt, bini affectant nomen *chymici*, ſed in virtute deficiunt. *Temerariorum* in hoc negotio *encomium* meritò eſt proclamandum, veriſſimum enim, quod plurium vita, cum potius ejus vigor petitus fuerit, extincta ſit audaciâ temeraria; cautè in hoc articulo agendum, ne quiſpiam *chymicus* evadat *monſtroſus.* Qui *rei metallicæ* regnum probè cognitum habet, illius dona prudenter examinat, ac quid hoc vel illud in receſſu habeat, ut decet, inquirit, tumque præparationi præprimis eorum, quæ periculi quid minantur, ut ☿alium & ♁ialium ipſe præſtò eſt, ſed ſuppono non *agyrtam* non *monſtroſum*, non *imperitum* ſed *medicum*, cui de meliore luto præcordia facta, ille inquam ſemper *frænum* ſtringere atque convenienter & tempeſtivè ſtrenuis iſtis *mediis* uti noverit, ipſi quoque ☿ vitæ nunquam cedet in ☿ mortis. Quicunque igitur de *chymicorum medicaminum* vi deleteria queritur, culpamque in ipſam *chymiæ* artem retorquet, *monſtroſus* eſt, & propriam inculcat ignorantiam, quæcunque enim etiam maximè *venenata* corpora cicurantur, atque artificis manui obtemperant, ſed quivis ad talia non aptus natus eſt, hinc *reus artifex* damnandus, non inſons *ars chymica.* *Timidi* in defectu peccantes nihil exerunt, quod intendunt, *cunctando hoſtem interimere volunt.* Hi potius ſolandi ſunt, quàm præcipitandi, plerunque enim illis *cor corrugatur*, cum ægri ipſis curandi offerantur,

tur, neſciunt enim, quid *medicaminis* ſit arripiendum, meditando de *chymicis*, aliorum obliviſcuntur; *chymica*, dum nondum ſatis cognita habent, applicare abhorrent, hinc *hæret aqua, hinc comæ flectuntur ſurſum.* Tandem inter *ſudores cordisque palpitationem* talis attonitus forte præſcribit *Spir. Sal. Armoniac.* vel *tinct. tartar.* ad gutt. V. vel vij uſurpandam. Sed quid *inertiæ?* in tali doſi ⁓ vel *Tinct.* illa data quorſum ſe ſe extendet, quantum ex *ventriculo* ad cauſam morbificam infringendam penetrabit ſuperſtes? Sic maximis in morbis ab intempeſtivè *timidis* leviſſima dantur *medicamina.* Memini ſatis quondam acutè *febricitantis* cujusdam, cui *pulv.* ex *corn. cerv.* nî fallor gr. xij. ♁ *diaphor.* & lap. bez. ana forte gr. iij. l. iiij. mixtus ab ordinario *medico* præſcriptus erat. Ipſe ſolus cum ſolo colloquens dicebam, quod parum effectus ab exiguo iſto pulviſculo ſperari queat. *Medicus* reputans, quod citius *exceſſerit*, quàm *defecerit pulv.* huncce opt. bezoard. deprædicabat; curioſitatis ergo regerebam, quod præſenti ægro intra 24. horas ♁ *diaphor.* ad ℈ iii. tumq; ſimul *corn. cerv.* ac bez. ſuperaddito ſingulis np. 6. horis ad ʒj. tutò ac majori ſpe fructus propinarem. Iratus ille *temeritatis* me accuſabat, innuens, quod ♁ *diaphor.* ultra ℈ß vix præſcribatur, nihil audiebat, quod ♁ *diaphor.* graviori urgente morbo ad ʒß tutò propinari poſſit. Tales *timidi* æque graviter peccant ac qui excedunt, utrâque viâ mori poteſt *æger*, quamvis hîc *accelerando*, illic *procraſtinando.* Hîc multum ſolatii præbet canon iſte: *Si non juves, ſaltem non noceas*, ſed nec *canon* iſte mihi placet, nec exinde *timidos* illos monſtroſorum numero excludere queo, *non juvare, non nocere,* neutrum cedit *medico* in honorem, utrumque enim etiam alienus non medicus *otiando* ſaltem & *ſpectando*, confidas, exequi valet. *Si non juvas, non noceas*, ſane non abſolvit medici conſcientiam v. gr. ſuccumbit jam quiſpiam *febri maligna*

C 3 cum

cum *lassitudine*, *ardore insigni* & imprimis *capitis gravitate*, *turbine & dolore*, medicus accersitus præscribit forte *smaragd.* præpar. *lap. 69.* præpar. cum pauco *succin.* præpar. in *aque ephal.* (sic enim symptomaticè procedunt) jam *medicus* juvare debet, sed non juvat, quæritur an noceat, fateor, quod minus? Sequitur ergo *medicum* non esse *monstrosum*, nec ullo vituperio dignum, sed absurda hæc est sequela. Verum est, quod non potuerit juvare, cùm in *medicina monstrosus* sit, nec morbum rite lacessere didicerit, potuisset verò juvare, si ut *verus medicus* præsens fuisset. Si juvare nil possumus, abeamus ab ægro, *Tò non nocere, medicâ prudentia non habet opus.* Sed ad cœptum, volunt esse *chymici*, qui disertâ voce *chymiæ encomium* pronunciant, eandem commendant, & quod ipsis maximè inserviant ex ea prodeuntia *medicamina*, ea esse virtutis in gravioribus affectibus laudatissimæ. Sed *fallunt* hi & *falluntur* ipsi; illud, dum ad famam comparandam tantam loquuntur, ipsi quod nec experti sunt nec præstare queunt, nescit enim ipsos *chymia*, & ipsi *chymiam*; *Spirt. vitriol.* non dicam de altioribus ne quidem destillare norint. *Falluntur verò* & quidem lepide dum enim nec *veri* nec *falsa*, nec *rariora*, nec *viliora* judicare ac distinguere queunt (*nec* enim *ipsi laboribus interfuêre*, *nec ab aliis celebrioribus chymicis*, *quid ratum sit habendum*, *didicerunt*) præscriburt sæpius *arcana* maxima, quæ vel nunquam *pharmacopœorum* officinæ viderunt, vel circa quæ *sublimiorum Chymicorum* ingenia adhuc exercentur v. gr. *tinct. antimon. ver. tinct.* ☉ *lq. v. terra tart. foliat. sal. tart. vol. Sulph. vitriol. anodyn.* &c. quasi similia vera usquedum non desiderentur. Interea falluntur, ne enim pharmacopæus in hisce deficientem se ostendat, nec *medicus* eorum abnegatione offendatur, datur *Spir. vin. calcin.* ♁io nonnihil *tinctus* pro ♁ *tinct.* verâ, datur cre-

cremor *tart.* selectior vel *arcan. duplicat.* pro *terr. tart.* foliat. Libans talia *spuria Medicus* confirmat eorum *realitatem*, monendo simul cœtera quoque, quæ Paracels. Helmont. Basil. Valentin. memorarent in scriptis suis, elaborare, sic garriunt *monstrosi* ejusmodi *medici* & clanculum deridentur à *pharmacopæo*, qui facile in hoc negotio prudentior fuerit. Sunt alii, qui ex intempestiva *simplicitate* multorum præteritorum in *Chymicis* laborum memores gloriantur saltem ad favorem & gratiam magni *Chymici* lucrandam, postmodum cum ad rem perventum fuerit, mox *monstrosi* apparent *chymici*, dum nec *fornacem* struere, nec *balneum* condere, nec *ignem* gubernare possunt. Nuperrime mihi talis *chimiæ* amator gaudium ac appetitum in *operationibus chymicis* longe lateque explicavit, demum v. querebatur, quod *Sulph.* ac *Nitr. accensa* perferre nequeat; silebam ad hæcce, reputabam v. quod tota boni illius hominis *chymia* in *aqu.* destill. necessariò posita fuerit *Sulph.* enim & *Nitr. sublatis vix multa metalla accendes*. Eidem *opiata* & *martialia medicamenta* infensissima sunt & cum ♂lia non solum commendarem, sed de limatura ♂ *crudâ* saltem purgata assererem, quod eandē satis efficacem pluribus *robustioribus ventriculis* propinatam expertus fuerim, prorsus *mente corruptus* regerebat, quod pessimi consilii sit, hominem ♂tem jubere comedere, & *opiatis spiritus vitales* temere opprimere, tales *Magistri* nostrâ reperiuntur in arte.

CAP. V.
Ex
Chirurgiâ Medicus monstrosus.

BOnâ mente, manuque Medicorum liberali antiquitus CHIRURGIA ministris exercenda tradita fuit, sed *mo-*

dernis Medicis, atque ipsorum medicinæ profecto in maximum nocumentum, quippe ingrati *chirurgi* cum suis *tonsoribus* ac *balneatoribus secant*, *urunt*, *emplastrant*, *consolidant*, imò internè *alterant* ac *purgant*, Medicis prorsus insalutatis, minùsque in consilium admissis. *Pharmacopœi* hac in parte nonnunquam, sed tamen non semper, modestiores se gerunt, memoresque sunt suæ scaturiginis ex medicis nempe & quod ab illis in libertate, quâ jam fruantur, positi fuerint. *Chirurgi* v. omnèm Medicorum seponentes memoriam *Ducem bellicum* pro stirpis seu stipitis autore referunt, exindeque *principes* vocari jubent. Sed ô miseros principes, ô turpes principes, cum ad *nates*, *anumq;* *clysteres* injiciendo vel *hirudines* apponendo consederint, consident utique in officii sui summo honore, *barbam* enim tondere tantum artis ac præmii non habet. *Medici* sordium istarum pertæsi & nescia spe forte ducti citius, sepositis nim. sordidioribus istis laboribus, ad *principatum* scandendi, nondum tamen *principes* evadere potuerunt ipsi, evasêre a. eorundem saltem *ministri*. Mirum v. quâ viâ vos *superbiores Chirurgi* ad ejusmodi *principatum* elati fueritis; sed vobis relinquo hunc titulum, interea sitis verorum *Medicorum servi*, *princeps Chirurgus* videtur mihi *scarabæus* in fimo equino.

Sed ubi jam Medici monstrosi? verissimum est, ab hoc tempore, multum difficultatis subesse, in *Chirurgia* studiosum *medicinæ* solidi quid addiscere, immodesti enim *Chirurgi*, ex *Medicorum* genere neminem ulterius quid hîc præstare posse, arbitrantur, hinc gravissimis in *vulneribus*, *fracturis*, *herniis*, *viscerum internorum læsionibus* soli, omnique remoto *medico* curare sustinent, imò aditum illis, qui addiscendi quid cupidi sunt, prorsus inhibent, ut si erretur ac peccetur, nemo illius *judex testisq;* esse queat. Fatendum, quod illa *Chirurgorum* inertia plures etiam inviti evadere cogantur *monstrosi*

in

in experientia chirurgica. *Monstrosus* fere, de quo doleo, & ipse adhuc nonnihil existo, in dies v. annitor, ut in hoc genere incrementum videam, sicuti singulari Magni VOLCAMERI Patroni ac Promotoris parentis loco æternum venerandi favore ad hoc ipsum ansa data fuit, ipseque illius suffragiis *introitum* quendam inveni. Vix excidet memoriâ eximia Illustris *Volcameri* in periculosioribus casibus *Chirurgicis* solertia, nec unquam oblivioni tradam quàm forti animo sæpius ille, me saltem præsente, felicissimè ineptis *chirurgorum* cœptis sese opposuerit. Laudandus sane inclyti hujus *Viri* candor in *authoritate medicâ* salvandâ, si ubivis plures *Medicorum medicatricibus*, *agyrtis*, *pharmacopœis perfidis*, *chirurgis imperitis*, *mulieribus curiosis* & aliis medicinæ sanioris *hostibus* occurrerent, nostra *medicina* dubio procul feliciori aleretur autoritate atque honore. Sed horum paucissimi sunt, paucissimi cum laudandæ studuerint *chirurgiæ*; uti ante dictum, infelici fato *encheiresis* omnis *chirurgica* ex *Schola medica* seposita est, simul enim omnis scientia ac *theoria* velut proscripta est adeo, ut plures *medici* nec levissimam plagam *unguento*, nec minimum *vulnus emplastro* mulcere adhuc noverint.

Nosodochia *Italorum* adire cui contigerit, feliciter locatum suum reputet studium, sed non quemvis *fortuna* ad istas deducit oras, & tamen in *Germania* ad similes profectus vix facilis obvius est gressus; sufficiat tamen, quod prorsus non omnis occasio nostris in regionibus sit præclusa, *inquirenti* ac *studioso* obtinget utique adhuc sufficiens incrementum. Ubicunque fuero, modestum ac prudentem *chirurgum* quæro, amo, mihique familiarem concilio, sicque mutuis consiliis proficere & memet & ipsummet reputo, conjunctis n. viribus *ars* demum *succrescit*, disjunctis iisdem, *medicoque* & *chirurgo* invicem æmulantibus, ipsis perit *autoritas*,

arti nihil addetur, & uterque in arte manet rudis & crudus. Prudentiores *chirurgos* nihil feriet, quod ſaltem ad imperitos ſpectat; omnes *modeſtos* ac *peritos*, quorum aliquot imprimis hic *Heidelbergæ* reperi, multâ excipio laude.

Væ iſti *ægroto* ope *chirurgicâ* indigenti, qui imperito *chirurgo*, nec prudentiori committitur *medico*, uterque utique monſtroſum ſæpius ſe gerit in *operatione*, & fit plerumque, ut *ſimilis ſimili gaudeat*, ac *imperitus* magis appetat *imperitum*, quàm ſe *peritiorem*, ne utrius ignorantia prodeat in lucem. Interfui ante aliquot annos, ut ſpectator, *Paracenteſi* in juniore uxore ruſticâ *hydrope Aſcite* laborante exercendæ, qua *medicus & chirurgus* quidèm conſentiebant, ſed neuter in hiſce quicquam expertus, uterque in *anatomicis* æque ac *chirurgicis* operationibus jejunus ac inanis reipſa exiſtebat. Sed cum jam ad conſuetam *abdominis* apertionem perveniret, *chirurgus* ſcalpello diutius huc atque illuc circa *regionem umbilicalem* mente ac manu trementibus agitabatur; adſtantem *medicum*, neſciens quo puncto *inciſio* moliendà, tremulâ voce conſulebat, ille eâdem anxietate vexatus ibi *verſum*, *ſurſum*, *deorſum* jubeat, quâ diuturniori morâ *hypodrica* demum commota ex auxilii aviditate propriâ manu ſane maximo cum periculo, turpiſſimâque operantium infamiâ ſcalpellum *abdomini* ipſa intrudebat. Tantum fructus nunc temporis bini iſti artifices *hydropicæ* conferebant, ut paucis abhinc diebus inter mariti, agnatorumque effuſas lachrymas ſatis miſerè expiraret. Quo verò *titulo* hi viri digni? *monſtroſi* utique jure vocitandi, ſi non ob imperitiam ipſam, tamen ob eandem in proximum malè ac temere locatam, *fugienda talia difficilia, nec adeo temere ſanguine humano manus ſunt contaminandæ*. Inter horrorem ac pavòrem memini aliorum talis modi *monſtroſorum artificum*, qui *ſtrumoſum faſciculum* infauſtâ ſectione cum aſpera arteria evulſere

mi-

miſeriori cum *individui* interitu. Similium hiſtorias ex Illuſtris ſæpè laudati DDr. *Volcameri* familiari relatu compertas habeo, & ſaltem mirum eſt, quâ audaciâ ac temeritate talismodi *monſtroſi* procedere ſuſtineant. Ducuntur ac ſeducuntur nonnunquam tales aliorum auſu felicius ſuccedente v. g. ille totum *uterum* exſecuit in integrum reſtitutâ ægrâ, hinc argumentantur, ergò & nobis minus quid in *hydropicum* vel aliis ſordibus repletum *uterum*, aperiendo ſaltem eundem, tentare licebit. Sed antequam hoc moliuntur iſti, meminerint: *duo cum faciunt idem, non eſt idem*, pugil & ruſticus gladium vibrant modo diverſo. Novi, quod verè perito *medico* præſente *uterus* prorſus in ægræ ſalutem utique exſciſſus fuerit, novi quoque *monſtroſi* ac *imperiti* auſu, ſectione ſaltem in *uterum* inſtitutâ, miſerrimam inter convulſiones mortem acceleratam fuiſſe, hinc eadem moliri in hoc articulo, eadem *perita experientia* ſupponitur, aliàs peccatur in horas. Cuivis in *praxi* verſanti alii quàm plurimi errores, ex quibus & *medicus* & *chirurgus* ſeſe reddunt *monſtroſos*, cogniti fuerint, præprimis qui circa *genitalium* & *veſicæ* affectus, in *herniis*, *luxationibus*, *fracturis oſſium*, *partibus gangrænoſis* tractandis & aliis committuntur. Viliora abſurda circa *fonticulorum*, *ſetaceorum*, *ulcerum* atque *vulnerum* minus lethalium tractationem præ gravioribus memoratu vix digna ſunt, & jam quoque ad finem feſtinandum.

CAP. VI.

In Praxi ſolemni variis modis Medicus monſtroſus.

IN hoc articulo memoriâ plus recolendum, quàm pronun-

ciandum, hisque paginis imprimnedum eſt, nunquam enim impræſentiarum omnes viæ, quibus *Medici Practici* deviant ac *monſtroſi* evadunt, monſtrari queunt & minus quoque licebit, niſi nimiam incurrere ſuſtinuerim invidiam, nimisque aliis extra noſtram ſcholam poſitis *medicorum* ſtatus innoteſcat voluerim. Ex plurimis pauca ſaltem memorabo, quò conſtet, quantum diſcriminis habeat, *in praxi medicum agere cordatum ac verum* & *contra inertem*, *& monſtroſum.* Moderni veri ac conſcientioſi jubent velut plurium iſtorum *pſeudomedicorum* abſurda in *praxi* ſignificare *auſpicia*, ut nolentes volentes percipiant, quam fraudibus plena ſint omnia ipſorum cœpta. Equidem non ſemper adeo facile eſt in illorum penetrare *fraudes* atque *errores*, quippe ſolerter eosdem tegere ac obvolvere ſciunt; vulgò vix innoteſcent. Hincque non infrequens eſt, ut *ſtupidiores* ac *monſtroſi eruditiores* famâ defraudent, pluriumqne *clientium* favore præ ipſis utantur, ſed quid mirũ, *merda* admixta retundit etiam *moſchum* & *ambram* fragrantiſſimam, *quò imperitior hodie, eò ferè felicior*, ſed tamen non ſemper ſuccedit, aliàs inſipidum eſſet, ulterius ad doctrinam ſolidam tendere, de qua tamen, DEO ſint grates, in plurimis noſtræ *medicinæ* magiſtris gaudere poſſumus. Cœtus *monſtroſorum* maximus eſt, qui ex ambitione & avaritia plures venantur *clientes*, & quò plures horum fuerint, eò nobiliores ac celebriores ſeſe judicant *medicos*, *animo nihil recordante, quâ curâ ac conſcientiâ* æger tractetur, ſufficit ipſis, ſi inde ſex decemve cruciferi redeant.

Firmum quondam fuit *Juramentum*, quod nemini *medico Practico*, ſi non vocatus fuerit, ægrum adire licuerit, ſed hodie pluribus in locis oboletum eſt, & currunt, recurruntque *medici*, præſertim *juniores*, ampliorem appetentes *praxin* per vias frequentes ad ſollicitandos ſuſcipiendosque *ægros*,

imo

imo prorſus artem ſuam, non ſecus ac *ruſtici gallinas* & *ova*, civibus venalem indicant. *O monſtrum turpiſſimum* inter alios modeſtiores, qui omni ſtudio nobiliſſimam medicinam in antiqua reverentia colendam ſuſtinent. *Qui ſe monſtroſum non reputat, ſuos procuret clientes, ad quos rite vocatus*, & *com-*
,,*moretur in Muſeo, donec amplius invitetur.* Pauperibus non
,, præripiat nummos, gratis inſerviat ipſis, & expectet ditio-
,, res, qui rependent, quicquid ante pauperioris in commo-
,, dum ex miſericordia fuit impenſum, *ſic medicus in honore*,
,, *ſic medicina in valore vigebunt.* Quicquid etiam obſtiterit, turpe eſt *arti* & indecorum *medico paciſci cum ægro*, aut certum pretium pro cura abſolutâ aut ſaltem pro unâ medicaminis formulâ præſcriptâ poſtulare. Satis ab idoneo autore mihi relatum eſt, quod *ditiſſimus Practicus* pro quovis ℞. etiamſi ſordidius ſaltem *juſculum* dederit, *quadrantem imperialis* ſine rubore flagitaverit, & ſi quis ex arctiori crumena *quatuor* vel *quinque groſſos* tantum numeravit, iſte medicus ſuum ℞. retraxerit, nec citius ſollicitanti reddiderit, donec dicta pecunia numerata fuerit, quo plures, uti facilis conjecturæ, inter *gemitus* & *lacbrymas* abiêre dolentes, quod ex pecuniæ defectu *domeſticum* ſuum *ægrum* juvare nequeant. Quicunque hic magnus fuerit *Practicus*, eſt tamen utique in hoc caſu ſatis *monſtroſus.* Hîc candido animo celebrare poſſum famigeratiſſimum WEDELIUM *Præceptorem* ac *Patronum* meum perpetuo obſequio magnifaciendum, qui nunquam quempiam conſilio ac medicamentis caſſum abire juſſit, etiamſi ipſe ſæpe caſſus pretio relictus fuerit. Idem encomium & celeberrimo VOLCAMERO conſtituendum, qui non ſolùm ab *anguſtioris fortunæ* hominibus nihil pretii etiamſi iteratis vicibus oblati cepit, ſed inſuper, ſi *paupertas* conſtiterit, cum conſilio ſimul eleemoſynam addidit. EXCELL. DDr. PRÆSES, *Patronus* ac Promotor æternùm obſer-

vandus eâdem famâ celebratur insigniter. Sicut enim ex omni parte severus *medicæ autoritatis* cultor ac defensor est, ita & hîc solertissimum ac studiosissimum se præstat, præprimis cum hactenus inter *militum copias* frequentior fuerit, perpetuam meritus est laudem, dum *militi gregario* gratis auxilium non abnegavit, *duci* v. ac *centurioni* pretio non postulato præstitit. Horum Celeber. *Virorum Medicorumque cordatiorum* mores omnes sectarentur *monstrosi*, qui quocunque turpiori quæstu, rigorosâque levioris pecuniæ postulatione *artem* ejusque *ministros* adeo infensos odiososque constituunt.

Qui certo in loco praxi vacat, præ omnibus *pharmacopœan*, si ipse non dispensaverit, frequentet, tàm *simplicia*, quàm *composita* revideat, examinet ac percontetur; sed quorsum *monstrosus?* abhorrent plures *medicam* adire *officinam* ex metu, ne quidpiam quæratur, *cerebro* ipsorũ quod impar, geriusq; sublimior comprehendere nequeat. Ex una parte benè quidem sibi suæq; famæ consulunt, dum nempe sæpius inter labores ac præparationes *medicaminum* dubia quædam observatio occurrit, ad quam resolvendam DDr. si adesset, obstringeretur, sed cum ne sirup. uti nî fallor supra dictum, coquere novit, quid de iis, quæ *altioris* sunt *indaginis*, futurum? Dein fugiunt quoque *pharmacopæam*, ne in *formulis* præscriptis *errores* commissos videre atque audire cogantur, satis enim *monstrosæ* sæpius scribuntur *formulæ* v. gr. præscribitur *decoctum*, sed fit *pulmentum*, *julepus* & fit crassiusculus *sirupus*, *emulsio* & addi jubentur *acida*, *sudoriferum* & admiscendum ἄνω καὶ κάτω *c. impetu purgans*, *aqua c. Oleis & balsamis* miscenda, quod *absolutè* non succedit, *emplastr. & cataplas.* sine *corpore* pro consistentia, *linimentum* & manet *Oleum*, *unguent.* & fit *emplastr.* hæc & alia in dies eveniunt, quæ tamen volunt urgeri à *pharmacopœis* merâ ex modestia. De *specificis* vulgò miscendis nil memorandum, quicquid menti succurrit,

rit, conſcribitur, ac ſæpius in uno tali *medicamine*, *ſtomachica*, *hepatica*, *cordialia*, *uterina*, *cephalica* (ſi ita loqui licet) ſieque non rarò è diametro invicem pugnantia componuntur. Quid frequentius evenit, quàm in *eſſentiis*, *tinctur.* *&* -*ibus* conſcribendis invicem *efferveſcentia*, *præcipitantia* ac *immiſcibilia* combinare velle, quod utique *monſtroſi* & *ignorantis* eſt *medici*. Ægro promittitur *potio rubicunda*, ſed ad præceptum præparata *flaveſcit*, *nigreſcit*, *pulv. albicans* ſed mixtus *rubeſcit*, *bolus* vel *morſuli* ſuaviores, ſed dati *nauſeabundi* &c. quo *ægri fiducia* minuitur, *pharmacopœus* erroris accuſatur, cum ſola tamen *ignorantia* in culpa ſit, qua talis *monſtroſus*, quid miſceri aut quid non poſſit, aut quæ *commutationes* ex his atque illis commixtis colorum inducantur, addiſcere recuſat. Et iſti *monſtroſi*, cum ipſi in hiſce deficiant, volunt ut & alii iisdem deſtituti ſint, hinc prohibere, hinc claudere tentant aditum *artis medicæ ſtudioſis* in publicam *pharnacopœam*, ut quid ibi geratur, nil videant, nil diſcant, ſicut nuper & mihi ipſi ſimile quid evenit, ſed quod eo non adeo offenſus fuerim, cauſa eſt, quod iſte *monſtroſus* ſiccioris ſit cerebri, nec ſemper perfectæ rationis compos ſit. Alios ejusdem loci modeſtiſſimos, mihique in hoc negotio faventes *medicos* publico excipio encomio, fores enim ſemper benevolè mihi aperuêre. Honorificâ quoque recolo memoriâ *politiſſimi* cujusdam illius loci *pharmocopœi* modeſtiam, cujus officinam ex omni parte rite ac perfectè adornatam inſigni cum officiorum promtitudine per biennium ferè adire licuit. Quicunque in *conſiliis*, *rebusque ſuis* ſolidus certusque fuerit, illum non pudebit ſtudii, ſuique laboris, ſed talis *monſtroſus* in conſiliis *præceps*, & in actionibus *periculoſus* ſua ab aliorum oculis *molimina* meritò abſcondit: Accidit enim, ut talis *artifex* præſcribat *arcanum*, quod juvat *ſimul & ſemel*, ſed puto *ad mortem*, quod utique non profanandum eſt, tale *arcanum*

forte

forte fit, si *Ol. hyoscyam.* ℥ß *Ol. succin.* ℈ß, *Ol. savin. myrrh.* nescio quot gutt. invicem mixta pro una *dosi* & *tribus vicibus* reiteranda internè dentur, hæc forte dubio procul prima vice tantum præstitêre, ut secundâ minusve tertiâ opus non fuerit. Et qui ita *monstrosè* procedunt, sunt forte illi ipsi, qui sua communicare recusant, quasi insignia *inventa* pro morbis tollendis præstò sint, sed *caveat DEUS*, ne quispiam talia *absurda* imitanda eligat.

Ad *morbum enucleandum* cum perventum fuerit, *monstrosa* creberrime quoque proferuntur & plerumque sicut in cognoscendo *morbo vera* ejus *causa* rarius inquiritur, sed saltem ex *producto* ejus seu *symptomate* sermo superficiarius instituitur; ita & in eodem curando *eadem* linquitur *intacta symtoma* lacessitur & impugnatur, *sicque dolor* & *inflammatio ex festuca infixa orta curatur*, *festucâ tanquam omnis mali origine prorsus intactâ relictâ*. Sunt itaque illi, qui ita procedunt, merè *symptomatici* ac *superficiarii medici*, qui in rei essentiam penetrare vix sustinent. Cum tamen sæpius de *morbi statu* ac *causâ* differatur oportet, à multis certum constituitur *asylum*, nescio, ad quam virtutem salvandam; ad illud refugiunt, cum in angustias de *nativa morbi minera* explicanda redacti fuerint. *Usitatiora*, magis nota hactenus fuere & adhuc sunt: *Passio hypochondriaca*; *Obstructio venarum mesaraicarum*; *stomachus Gas sylvestre* seu vapores crudiores versus pectus ac caput excludens, *catharrus* in humeris, lumbis, femore ac pedibus, *scorbutus* item *acidus & salinus*, hæc & alia refugia inserviunt *monstrosorum medicorum* scientiæ tutiori in vado locandæ. Hosce & alios *affectus* ludibrio neutiquam habeo, multo minus pro non *Entibus* temere proclamo, agnosco & ipsos ipsemet, hoc saltem innuo, quod *unus ex hisce non omnium quorumcunque obviorum morborum essentiam* ac *causas explicet*, & quod *monstrosus* sit ille *medicus*, qui

cum

cum semel *scorbuticus* factus fuerit, quodcunque *morbidum* obvium pro *scorbutico* agnoscat, tractet & curet, sicque *hypochondriacus*, *cachecticus*, *catarrhosus* eâdem chordâ oberrent. Mos iste ubivis ferè pro *morbis* eorumque *essentiis* enucleandis frequentissimus est, & quidam ejusdem studiosi adeo curiosos exhibere se queunt, ut in similibus proponendis *speciosa involucra*, diversos *colores fucatos* præ se ferre nôrint, sicque *ægros* & *adstantes*, dum hæc *subtilia* non intelligunt, minusve cognoscunt, obstringant, ut illi ipsi credant, speciosè prolata merè *sacra*, *altiorisque indaginis* esse, cum tamen magis ipso autore conscio merè *abstracta*, *concepta*, ac *vacillantia*, quàm reipsa *subsistentia* ac *firma*. Hic quidē vix laudem merentur: nescio v. an minus fortè adhuc laudis debeatur illis, qui credunt, quicquid ab *obstetricibus*, *medicatricibus*, *mulieribus juratis* ac *curiosioribus* vulgo (**erbare und geschworne Weiber**) refertur, omniaque adeò ratissima habent, *ut methodus medendi* ad earum, non proprium *judicium* formetur. Tales *medici* sunt sanè *hermaphroditæ*, dum *viri* sunt & faciunt *muliebria*, & verè sunt in hoc negotio *mulieres*, dum n. similis *ad cujusvis palatum* accommodatus ad *infantem* vel *adultiorem ægrotantem* vocatus fuerit, inter *mulieres* considet & quicquid de *morbi statu* ac *nominatione* deliberatur, auscultat religiosè *mulierum judicio* & cum v g. *virgo juvenis* in *tributo lunatico* solvendo vel *difficilis* vel prorsus *deficiens* fuerit, hinc *gravamen* circa pectus, *respiratio laboriosa*, *tussis levior*, *appetitus prostratus*, *lassitudo spontaea*, *turbo* & *tenebræ* in capite &c. non nihil instent, indeque ab adstantibus fortè pro *febre phthisica* irruente habeatur, DDr. præsens anticipat confirmando, quod utique *phthisis* cum lentâ febre ægram invadere cœperit. Quid auspicatur ulterius in *curatione muliebris* iste DOCTOR? *mulieres* consulit, num & ipsæ consentiant ac jubeant ut cum *phthisis* jam præstò sit (prout ipsæ

putent) *pectoralis*, vel *eclegma demulcens* pro *pulmone* præſcribatur, conſentientibus omnibus, conſentit & ipſe, & ſcribi *medicamen* pro *pectore*, dum patitur *uterus*.

Interea quomodo curatur *ægra*, profectò *monſtroſè* & ſæpius magis ad augendum quàm levandum malum juvat tale *monſtrum medicinæ*. Eadem *comœdia*, ex qua v. ſæpius *tragœdia*, agitur in omnis generis morbis, præprimis v. in morbis *infantum* ac *puerperarum* ante, in, & poſt partum exortis, in quibus *mulieres* abſolutè ſapientiores quovis *medico*, omnemque ſcientiam in ſimilibus hauſiſſe falsò ſibi imaginantur, ſed *vir effœtus* & *medicus imberbis* ſubit imperium mulierum & credulus eſt quibuscunque in abſurdis, hinc *abſurdus monſtroſusque* & ipſe in fine neceſſario conſtituitur, ſiniſtrè judicant *mulieres*, inde ad earum judicium quodcunque deciſum cedit ſiniſtrè.

Favor in ſimiles homines ſemper *intempeſtivus* ac *noxius* eſt, eò ipſo enim multum gloriæ atque autoritatis arti ejusque legitimis *miniſtris* demitur. Maximè culpandus eſt iſte favor, ſi impenditur à *medico* in homines, quibus minimè debetur, ut cum à *ſuſpectis virginibus* nimis fortia & ferè *brutalia* expetantur *purgantia* vel *menſes moventia*, vel manifeſtè pro *fœtu* immaturo pellendo ſollicitetur *medicus*; in talibus, quæ conſcientiam feriunt, nihil favendum, nec *amicitia*, nec *conſanguinitas*, nec *fraternitas* quicquam hîc valeant, nil moveant magna *promiſſa*, pretia aut *honores*, utrumque poſtea peſſundatur. Proindè cautè ac circumſpectè *Gynæceum* ingrediaris, plurimum enim infortunii ex eodem in *medicum* redire poteſt. De fallaci *Gynæceo* in *medicos*, deque tutiori via illud adeundi conſcripſi nuper paginas quasdam, *Norimbergæ* cum adhuc degerem, ſed cum nimis feſtinanter abhinc diſceſſerim, ſupellectili potiſſimam partem relictâ, dictum *Gynæceum fallax in medicos* hâc vice loco exercitii publici prodere

dere non potui, reservabitur tempori faventiori. Hæc res non eſt de nihilo, providiſſimus etiam *medicus* in hoc negotio decipi & exinde periclitari poteſt, uti brevi abhinc ſane celebriori ac optimo *medico* tale obtigit fatum, quo facile inſons ab omni honore ac famâ dejectus fuiſſet, niſi aliorum *celeberrimorum virorum* interceſſione maturè vindicatus fuerit. Quomodo itaque ſibi cavebunt illi, qui temere ſordidis iſtis negotiis ſtudent, *medici* enim ſemper eſt, *vitam hominis* ſervare quacunq; viâ, eandem v. ſtudio ac conſilio extinguere, *carnificis* & *medici monſtroſi*; ex improviſo ſæpius petit ſub noſtrâ curâ *homo, vix opus habemus ſtudio ad ſimile tendere.*

In propinandis *medicamentis*, perſonis quoad opes non conſideratis, crebrius quoque *medicus* ſe fingit monſtroſum, *Principi* & *ruſtico* non idem offerendum *poculum utrique enim non convenit idem.* Certiſſimum eſt, quod ſæpius *ruſticum*, cum animo delinquatur, *acetum* aut *ſtercus ſuillum recens fragransque* æque cito ac forte citius, ac ſi ipſius naribus *ſpirituoſior aqua apoplectica* aut *ſuaveolentius balſamum* admoveatur, ſuſcitet ac juvet. *Pauperes* à ditioribus probe hîc ſunt diſcernendi, *canon* hic firmus eſt: *Viliora inter pauperes idem præſtant* ac *pretioſa inter principes, modificante medico perito.* Hîc v. multum peccatur & præſcribitur *plebejo* & fortiori *ruſtico* æque *Corn. Cerv. aurat* ſ.c. *calc.* ☉ *parat. magiſt. perlar. gallia moſch. confect. alkerm. pretioſa eſſent. ambr. tinct.* ☉ ad ℥jß & ultra cum *acidulis* haurienda aliaque carioris pretii ac hominibus naturæ delicatioris & crumenæ ponderoſioris. Hæc pretioſa conſtituunt extremum more recepto *agonizantibus viaticum* & qui *medicus* videri vult, quaſi jam omnia feciſſet, quæcunque *arti* poſſibilia fuerunt, præſcribit talia *magiſteria maximo ſolvenda pretio*, ſed quàm *præpoſterè* ac *deceptuoſè* agatur, luce meridiana clarius eſt. Sunt talia *magiſteria cordialia calces, corpara que mortua* ac *fixa*, quæ à

 debi-

debiliori retrocedente moribundorum calore minus in actum deduci queunt. Hic magis mihi placerent penetrantissima *Sal.* volat. ut *Ol. ſuccin.* rectificatiſſ. ejusd. *Sal. volat. Ol. fuligin.* & ~ ejusdem cum *Sal. volat. Corn. Cerv.* probe *rectific.* ac impraegnata. *Sal. volatil. Oleoſ. Sylv.* cum *Sal. vol. ſuccin.* acuatum, *talia cor jam flacceſcens ſemel adhuc movere valent.* Sed cum jam diſcurſus forte excurrerit ad ea, quæ circa *moribundum* eveniunt, retrocedere haud ſuſtinebo, quamvis plura adhuc circa *ancipitem ægri ſtatum* evolvenda reſtent. Dimitto jam *medicum monſtroſum*, exoptans unicè, ut cum *moribundis moriatur omne in medicina monſtroſum*, quo poſthæc ea ipſa excultores ac præſides videat ſaniores, candidiores.

Sit NUMINI benigno, quod cœpta hæc usque huc ſecundare voluerit, æternus honor, lausque perennis ſancita in ſecula.



TE ſolidi docuit *Sophie Meditrina Chemia*;
Propterea *Medicus* non potes eſſe malus.

Φιλίας ἕνεκα f.
Revera doctiſſimo Dn. Cand. Dn. Amico atque
Conterr. honorat.

J. G. Dœlerus, J. C.

FINIS.

37

005644071


CB